



Ioannes Tigurinatus & educatus à pueris operam literis dedit, atq; prima artium & linguarum rudimenta feliciter didicit. Inde sese ad varias Academias, adeoq; exteras nationes ingenij excolendi gratia contulit, atq; in varijs disciplinis ita profecit, ut artium liberalium Magister crearetur. Inde in patriam reuersus ludimoderator constituitur. eam functionem is per annos plurimos magna laude exercuit, atq; iuuentuti optimos quosq; authores exposuit. Fuit is homo (ut dicitur) omnium horarum, qui in rebus serijs suam prudentiam declarauit, atq; in rebus iocosis facetissimus extitit. id quod in Ludimoderatoribus rarissimum cernitur, cum plerumq;

in illis pulueribus sibi melancholiam contrahant. Quin etiã Ioannes scriptis suis omnib. doctis innotuit. nã Maturini Corderij opus Latinogallicum, de corrupti sermonis emendatione, Latinogermanicum reddidit. Dictionarium Latinogallicum cum Petro Cholino Latinogermanicum effecit. Aliquos tractatus Bullingeri (ut de Resurrectione & de Iustificatione) uernacula lingua proposuit: & tandem Iacobi Cæporini Grammatices compendium plurimum auxit. Hoc modo factum ut Frisius & Magistratui Tigurino, & cunctis doctis ob puerorum foelicem institutionem, & raram eruditionem gratissimus esset, Decessit is Tiguri 1565, atq; ibidem sepultus quiescit.